

675
Pi
141

COMMENTATIO
DE
POESEOS BIBLICAE EXEGESI POETICA

PANEGYRI SOLLEMNI

POST
NATALEM AVSPICATISSIMVM
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
FRIDERICI TERTII

DVCIS SAXONIAE

IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE ET WESTPHALIAE
LANDGRAFII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS
DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE, COMITIS MARCAE
ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII
ET TONNAE

DOMINI NOSTRI ET PATRIS PATRIAE
CLEMENTISSIMI

D. XXVIII. APR. A. MDCCCCLIII.

IN ILLVSTRI GYMNASIO GOTHANO

CELEBRANDAE

ET
INVITATIONI OBSERVANTISSIMAE

AD
ORATIONES TRIVM IVVENVM EXIMIORVM
BENIGNE COMITERQVE AVDIENDAS
PRAEMISSA

A
IO. HENR. STVSS

GYMN. RECT. ET REG. PVSS. ACAD. SCIENTIAR.
COLLEGA.

GOTHAE LITTERIS REYHERIANIS.



- I. *Instituti ratio.*
 II. *Exemplum loci obscurioris Psalm. LXVIII.*
 v. 14. 15. *eiusque variarum versionum.*
 III. *Idem locus a poetis vario carmine Latino expressus.*
 IV. *Vsus paraphrasium poetiarum in sacra*
exegefi et imitatione, testimoniis comprobatus.
 V. *Poëtarum biblicorum in tres classes distinctio.*
 VI. *Alia eorundem distinctio.*
 VII. *Inuitatio ad audiendas orationes.*

I.



uod schediasmatibus proxime lapsio anno publicatis attigi argumentum, de *exegefi*, deque *imitatione poëseos biblicae*, eidem etiamnum paulisper immorari, et quae, praeter iam in medium adlata, huc pertinere videntur, porro delibare conlitiui; experientia edoctus, esse viros eruditos, quibus haec non displiceant, esse et iuuenes erudiendos, qui fructum ex iis aliquem capere queant. Missis igitur, quae iam breuiter disputauimus, quaeque, sua quippe luce radiantia, a nemine in controuersiam vocatum iri confido, argumentum hoc consideratione dignissimum non syllogismis, vt solent, qui meras demonstrationes iactant, inuoluere, sed, vti eorum, qui plebei inter eruditos habentur, mos est, exemplis illustrare, et quantum metaphraetae poematum Θεοπνευστων metrici interpretationi eorum inseruire queant, ostendere conabor.

II. Age igitur, quisquis harum rerum curiosus es, lector humanissime, inspice et perpende mecum obscuriora illa et variis interpretationibus obnoxia *Psalmi LXVIII. commata, 14. et 15.* quae ipse Dauides ita extulit:

אם תשכבן בן שפתים כנפי זנה נחפה בכסף ואברותיה בירק
 וְיָרֵחַ בַּפֶּשֶׁת שְׂרֵי מַלְכִים כֹּה תִשְׁלַג בְּצַלְמָהּ:

En iam versiones mire discrepantes. Interpretes Alexandrini, qui vulgo LXX. dicuntur, Graece ita reddunt: *Εὰν κοιμηθῆτε ἀναμέσον τῶν κληθῶν, πτέρυγες περιπερᾶς περιργυρομένοι, καὶ τὰ μετὰ Φρενά ἀύλης ἐν χλωρότητι χρυσίῃς.* En τῷ διασελλεῖν τὸν ἐπερᾶνιον βασιλεῖς ἐπ' ἀύλης, χιονωθήσουσαι ἐν Σαλμών.

Haec ad verbum, vt innumeris in locis difficilioribus, vbi a fontibus Hebraeis vehementer discrepant Graeca, magno ecclesiae christianae per tot saecula incommodo, factum, ita exprimit vulgata, horribili absurditate in thronum quasi ἀυθεντίας a pontificiis eleuata. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri.* Dum discernit caelestis reges super eam, niue dealbabitur in *Selman* (a) SANTES PAGNINVS, primus ille saeculo XVI. versionis adcuratoris

(a) Si quis scire aueat, quem ex his sensio ipsorum Germanica, quae in Bibliis sum eliciant pontificii, ei satis faciet ver-Moguntinis, Francof. 1740. fol. splendide editis,

ratoris conditor, ita reddit. Si dormieritis inter tripodes, eritis sicut pen-
nae columbae, quae tecta est argento, et cuius alae sunt velut tectae flauo
auro. Cum dissipauit omnipotens reges in ea, alba facta est velut nix in
Salmon. **IVNII** et **TREMELLII** versio sic habet. Etiam si iaueritis
inter duas strues lapideas, eritis similes alae columbae tectae argento,
cuius pennae sunt ex fuluo auro effosso. Cum expanderit omnipotens
reges in hac terra, niueus eris in Tzalmone. **SEBASTIANI** vero
SCHMIDII haec sunt. Si cubuerint inter ordines, (eritis sicut) alae
columbae obductae argento, et (sicut) pennae eius (obductae) flauedine
auri. Cum expandes, o Fulminator, reges in ea, albescet (dealbabitur
sicut) in Tzalmone. **CASTELLIONIS** Latinitas ita heic sonat. Etiam si
iacueritis inter cortinas, similes columbinarum eritis alarum, argentei co-
loris, plumis in aurum virentibus. Prostrigatis quidem in ea ab omnipotente
regibus, erit ipsa niuosa Salmone candidior. Praecipua mirae huius varie-
tatis causa est ambiguitas vocis מִי־תֵפֶשׁ, de qua, praeter lexica, vi-
dendus, commentatorum in psalmos facile princeps, **GEIERS**.

III. Iam videamus interpretes poëtas. **BVCHANANI** haec sunt.

Vestra licet somno sternantur corpora nigrae

Inter fuliginis ollas,

Illa tamen vincet nitidam candore columbam,

Rutilae ceruicis honore,

Quae nunc argentum nitidum, nunc lumina blandum

Radiantis prouocat auri.

Cum Deus omnipotens traduceret agmina regum,

Longo spectanda triumpho,

Squalida quae lectu et tenebris Solyma ante iacebat,

Niuea tum luce refulsit,

Ceu niue vicinos inter candentia colles

Salmonis culmina fulgent.

ARIAS MONTANVS, cum Pagnino concinens, stricta sua, et poëticis
coloribus ferme deslituta versione metrica, haec habet. (b)

Et quamquam tripodes inter iaceatis et ollas,

At tamen argento velata columba nitescet,

) 2

editis, ita habet (psalmo LXXVII, secun-
dum ipsorum numerandi rationem, qua no-
num et decimum coniungunt,) *Wann ihr
nun ruhen werdet mitten in eurem Loos,
so werdet ihr seyn, wie die Flügel der Tau-
ben überflibert, und wie ihr Rück übergül-
det erscheinen. Wann Gott im Himmel Kö-*

*Flauo
nig über sie auserwehlet, so werden sie mehr
glänzen dann der Schne auf Selmon.*

(b) Titulus paraphrascos huius est: *Da-
uidis regis ac prophetae, aliorumque sacro-
rum vatum psalmi, ex Hebraica veritate in
Latinum carmen a Benedicto Aria Montano
obseruantissime conuersi. Antwerp. ek officii*

*Flavo alis rutilans, pennisque micantibus auro,
Cumque in eo Omnipotens reges extenderet, atris
In tenebris, Salmone niues fulsere nitenti.*

Iam quantam lucem Buchananus intulerit loco huic obscuriori, quem in tenebris suis reliquit, ceterum etiam parum felix poeta, Arias Montanus, nemo non videt. En porro specimen paraphraseos Bezae, et quidem primum solutae, qua scite haec connectuntur cum versu 12. quo mentio fit mulierum euangelizantium, h. e. victoriam magno plausu celebrantium. Verba eius ita habent. *Vixistis adhuc, puellae, inter ollarum fuliginem, domi videlicet desidentes: at nunc foras prodire licet vobis nitentibus et haud secus emicantibus atque niueae columbae per medium aërem inter volitandum aureum quemdam splendorem eiaculantur.* Addo et versum sequentem. *Dissepatis autem diuinitus hostis viribus, serenitas summa terris illuxit, qualis est nix, Salmonis culmina insidens, et suo fulgore spectantium oculos perstringens.* Haec ipsa autem carmine ita expressit.

*Tuque inter tripodas nigra fuligine tetros
Turba diu versata, prius speciosa, repente
Tota micat, medium veluti trans aëra currens,
Præcipitiq; ruens penna cum forte columba
Argentique aurique oculos fulgore fessellit.
Namque tua simulac, crudelia corda, tyranni
Occubere manu domiti, lux ecce serena
Adfulsit terris, qualis iuga celsa niuosus
Ostentat radians media inter nubila Salmon.*

EOBANVS HESSVS, Lutheri primam, multis locis ab altera diuersam, et Hebraica pressius exprimentem, Psalmoreum versionem (c) secutus, in qua est, *wann ihr liegt zwischen den Gränzen*, hoc ipsum comma simplicius, vti solet, hunc in modum reddit.

*Cum tamen extremas inter recubabitis oras,
Et loca, quae limes claudit vtrimque suus.*

na Christoph. Plantini, architypographi regii 1574. 4. min.

(c) Psalmoreum illa versio prima Lutheri legi potest non solum in antiquis editionibus, si cui ad manus sunt, verum etiam in Bibliis Stadenibus, a Io. Diecmanno editis, necnon in Supplemento scriptorum Lutheri, in tomis Wittebergenfibus, Iensenfibus, Islebiefibus, et ipsis Altenburgenfibus omifforum, cum praefat. I. F. Buddei edito Halae 1702 fol. En et aliud speci-

Tunc
men, quomodo versionem illam interdum, neque enim perpetuo hoc fecit, secutus sit Eob. Hessus, e Pf XXXV, 14. Vbi hodie recte legimus: *Ich gieng trawig, wie einer der Leid trägt über seine Mutter.* Cum versio illa prima ita habeat: *Ich bücket mich trawig wie eine klagende Mutter.* Haec nempe ita ille expressit:

*Sicut mater eram, natum quae luget adematum,
Pullaque in atrato corpore vestis erat.*

*Tunc erit argento celeris tincta ala columbae,
 Aurea tunc placidae penna volucris erit.
 Hanc super Omnipotens cum reges proferet, ora
 Vel sub nocte feret candidiora niue.*

In his nulla est, quae exprimi debebat, comparatio fulgentium exercitus, in limite hostibus oppositi, armorum, cum columbarum alis, argento quasi et auro obductis. Nulla etiam mentio fit montis Salomonis, sed vox Hebraica *קמץ*, (vti et Lutherus accepit, dum vertit, *so wird es helle wo es dunckel ist*) capitur adpellatine pro *caligine crassa*. Videantur, quae GEIERVS pro defendenda hac versione contra reliquos interpretes et commentatores disputat. Nunc adiungo etiam poetam, qui verum prioris commatis sensum recte mihi cepisse et expressisse, in altero autem aberrasse videtur. Is est MARCVS HASSAEVS, in academia Roslochensi linguae Hebraicae Professor, (d) cuius hi sunt versus.

*Armati quandoque tamen si castra locetis
 Belligeros hostes contra, frons vestra nitescet
 Atque caput galea cinctum radiante, columba
 Ceu rutilans alis auro argentoque coruscis.
 Cum Deus omnipotens reges praefecerit orbi,
 Diffugiunt tenebrae passim, et lux clara resulget.*

Quod diuinus Pfaltes heic non loquatur de regibus populo suo praeficiendis, aut passim constituendis, sed de regibus hostium dissipandis et dispergendis, ex communi vsu vocis *קמץ* aequae ac ex contextu euincit GEIERVS. Huic igitur Hassaei paraphrasi, etiam ob elegantius expressam comparationem fulgoris armorum cum alis columbinis, auri instar argentique radiantibus, praeferenda omnino fuerit, licet et ipsa vno alteroque naeuo laboret, haecce WIDEBRAMI. (e)

*Castra locaturi si quando in sinibus estis,
 Mixta coruscabunt quasi versicoloribus alis
 Arma, columbarum radiantibus acmula pennis,
 Splendore argento, fulgore simillimaque auro.*

(3

Otia

(d) Titulus est: *Libri V. Psalmorum Davidis regii vatis, pietatis exercendae ergo metrica paraphrasi in heroicum*, (omissa est vox carmen) conuersi a M. Marco Hassaeo, in alma Rosarum Academia Linguae Hebr. Prof. publ. Lips. 1605. 8. Praefixa est epistola dedicatoria, laudes Scripturae sacrae, et speciatim Psalmorum complectens, ad Duces Megapolitanos, CAROLVM, Ad-

ministratorem episcopatus Ratzeburgensis, nec non ADOLPHVM FRIDERICVM, et IO. ALBERTVM. F. F. germanos.

(e) Titulus editionis primae, vti patet ex dedicatione ad GVLIELMVM Hassiae Landgrauium, domin. Trinit. a. 1578. data, est: *Psalterium Davidis integrum, carmine redditum a Friderico Widebramo S. Theol. D. Argentor. 1579.*

*Otia dispersis sic regibus alma Sioni
 Adstruit Omnipotens, sic, quondam septa tenebris,
 Illustrata nouo splendet lumine Salmon.*

IV. Iam si quis obiiciat, ad rectius intelligendas odas Dauidicas facere non posse tautopere inter se in paraphrasibus suis dissentientes poëtas: respondeo: vbi in locis valde obscuris in diuersa abeunt interpretes, ibi et poëtae, quorum alii alios sequuntur duces, non possunt non diuersos etiam sensus carminum exprimere. Interim tamen praeflantiores, quales sunt Buchananus, et Beza, quorum vterque Castellionis versionem, et Latinitatis, et sensus luce radiantem, maxime secutus videtur, semper aliquid lucis adfundunt verbis Dauidis, breuitate sua et ambiguitate non nunquam obscurioribus. Atque hoc ipsum si chartae angustia permitteret, facile pluribus declarari posset exemplis. Magna igitur fiducia iterum iterumque adfirmo, quod poëticae, siue metaphrasae strictiores, siue paraphrasae vberiores, librorum scripturae sacrae, praesertim poëticorum, a viris Hebraice callentibus, et carmine itidem siue Latino, siue Germanico, siue alia per cultiorem Europam hodie florente lingua valentibus concinnatae, permultum faciant ad sensum carminum Θεοπνεύτων recte capiendum; quodque adeo earum lectio cuius genuino theologiae cultori, cuius quippe studium praecipuum in exegesi sacra versari debet, summopere commendanda; atque, vt mature in manibus versentur, neque solum ad poëticam imitationem, verum etiam ad poëtarum diuinorum explicationem adhibeantur, in scholas introducenda, et, vbi optimo consilio introducta est, studiose retinenda sit. Ne tamen absque suffragio summorum virorum sententiam dixisse videar, adscribo saltem locum insignem magni inter nostrates, et ipsi Luthero valde cari atque aestimati theologi, VITI THEODORI, cuius immortalia inprimis in urbem Norinbergam sunt promerita. Is ad Paulum Pfinzingium, Norinbergensem, dum Eobani Hessi paraphrasin Psalmorum, argumentis, et dispositione ac scholiis a se illustratam, altero statim post primam editionem anno, nempe MDXXXVIII. ei dedicat, ita scribit. (f) *Si mihi in hac re libere dicendum est, quod sentio, omnino sic iudico, hanc Eobani Psalmorum expositionem plus longe lucis ad germanam prophetiae sententiam rectius intelligendam attulisse, quam omnes omnium commentarios, quos intra annos quadringentos in scholis scripserunt. Vt igitur opus ecclesiae vtilissimum in scholis inuenturi cum maiori fructu posset proponi, volui aliquam studiorum meorum partem in id ponere, vt hi Psalmi argumentis explicati, et*

dispo-

(f) Hanc dedicationem in omnibus Psalmis credo. Exstat enim in edit. Lugdunensi tertii Eobanici editionibus, praeter priam a. 1557. 12. nec non in Lipsiensi a. 1591. mam, quae cum aliis penes me est, legi 8. cet.

dispositione ac scholiis pro mea mediocritate illustrati, ederentur. Quomodo enim possunt iuuentutis studia rectius institui, quam si hoc modo cum libera- liore doctrina etiam religionem discant? Nam hoc citra controuersiam omnes eruditi fatentur, plurimum momenti ad comparandam aliquam libe- ralem doctrinam in eo esse, si pueri statim adsuescant ad pangendum carmen. Ego vero haud scio an possit in scholis aliud aptius exemplum fingendorum versuum proponi, quam sunt Eobani nostri versus, elegantia, facilitate, et suauitate praesstantes. Eiusmodi cum sint Ouidiani quoque, quis tamen non malit iuuentutem simul sacra discere, quam nondum bene confirmatos ani- mos in profanis lusibus versari? Vtinam vero consilium tam salutare se- cuti essent omnes, et pueris ante hanc Eobanicam Psalmorum paraphrasin, quam Ouidii elegias, et ante Buchanani Dauidicam, quam Horatii profa- nam Iyram in manus dedissent, qui praelectiones scholis publicis prae- scriperunt! Non abs re fuerit, heic etiam legi, quibus insignis ille for- mandae iuuentutis artifex, NATHAN CHYTRAEVS, magni Dauidis Chy- traei frater, praefationem, Collectaneis suis in Ge. Buchanani paraphrasin Psalmorum praefixam (g) orditur, quae ita habent. Cum ante quinquen- nium de lectionibus et exercitiis scholae nostrae puerilis deliberationes insti- tuerentur, inter alia etiam placuit prudentissimis Scholarchis, ut paraphra- sis Psalmorum Buchanani in prima classe proponeretur, ut nimirum ex ea pueri nostri praeter veram pietatem, et linguae Romanae puritatem, varias etiam carminum, maxime lyricorum, dimensiones animo comprehenderent. Mibi vero sententia illa Scholarcharum nihil tum fuit acceptius, nihil incun- dius. Tam pridem enim sacratissimum illud, quod vocant, Spiritus sancti enchiridion vna cum omnibus piis et ipse maximi feceram, et aliis quoque meae fidei commissis commendaueram, et nonnumquam etiam priuatim domi meae iisdem explicueram. Cet.

V. Porro iam exili specimine ostendere conabor, quomodo diiudican- di, et in certas classes, non tam gentium, vnde oriundi, aut in religione par- tium,

(g) Scripta illa est Rostochii Idib. No- uembr. a. 1584. Collectaneis autem illis, peculiari titulo editis, in gratiam tironum vocabula, et modi loquendi tam poetici, quam alias difficiliores, et minus vulgo obuii, perspicue explicantur. Vtinam ve- ro in Germania recusa esset insignis illa Psalterii Buchanani editio cum ephrasii Alex. Julii, Londin. 1620. in lucem emissa quam mire laudat ROB. FRIBARNIVS pag. 2. praefat. in opera Buchanani, splendide edita

Edinb. 1715. fol. quae et descriptis Prooimia, atque emendationes continent, quibus ip- se Buchananus Psalterium suum post pri- mam editionem a. 1557. in lucem datam, expoliuit, Ceterum Nath. Chytraei editio hoc ipso etiam commendanda est, quod habet argumenta Psalmorum copiosa, et melodias ad singula carminum genera, ad quas quotidie Psalmos hosc a disciplinae suae alumnis decantatos esse scribit.

tium, quas secati fuerunt, quam praestantiae internae habita ratione, dispendi veniant carminum sacrorum metaphraetae poetici. Primi nempe ordinis is censeretur posse existimo illos, qui Hebraica probe callentes carmine elegantiam eadem expresserunt, quales sunt FRANCISCVS VAUASSOR in *Iobi et Hoseae metaphraesi poetica*; (b) THEOD. BEZA in *Gallica (i) sua et Latina Psalmorum interpretatione metrica*; ARIAS MONTANVS, qui et Hebraica non punctata suae Psalmorum paraphrafi, variis carminum generibus effictae, adposuit; GILB. GENEBRARDVS in *Cantico canticorum, versibus et commentario illustrato*, quo trochaicam Theod. Bezae paraphrasin, tamquam nimis mollem et impudice lasciuientem, acriter reprehendit: (k) atque ex nostratibus, iisque recentioribus, magnus in primis ille et meritissimus theologus Halensis, IOACH. IVSTVS BREITHAVPT, cuius exstant *Salomonis, regum sapientissimi Prouerbia, et Ecclesiastes, secundum fontem Hebraicum metaphrafi epica explanata*. (l) Ad hanc classem etiam quodammodo

(b) Specimen vnum alterumque metaphraeos Vauassoris in lobum superiori iam anno exhibui commentationibus binis de *Epopoeia Iobaea*.

(i) De Gallica sua aequae ac Latina Psalmorum paraphrafi metrica ipse BEZA dedicatione ad Henricum, Huntingtoniae comitem, Gen. 16. Maii a. 1579. data, memorat, quod instigante Io. Caluino versionem Gallicis rythmis a Clemente Maroto, Gallorum sui temporis poetarum facile principe, quo commodius in ecclesiis Gallicis cantari possint, inchoatam absoluerit; et postea quoque Latinis numeris nonnullos exprimere tentarit, nec edita iam Buchananii praeclara paraphrafi deteritus sit, quodque interdum a sua quoque Gallica versione discesserit, quod sint *δὲ θεοῦ φρονήσεως σοφιστικῆς*, et quod plures ac diuersas explicationes saepe vnus idemque locus admittat. Tum etiam, quod paraphrafi suae solutae, magno studio conscriptae, e regione adposuerit Latinam versionem, *καὶ τὴν πρὸς τὸν ἄνθρωπον* ab Henrico Mollero nuper tum editam, pauculis tantum a se immutatis, et interdum emollitis. Ceterum Gallica illa Psalmorum quorundam versio, a Clemente Maroto Francisco I. dedicata, ex quo primum prodit, omnibus per Galliam ecclesiis reformatis sacri enchiridii loco inseruit, et omnibus feruere. certe iis,

quas equidem inspexi, Bibliorum Galliarum Geneuensium editionibus, additis melodis musicis, iuncta est; quem morem etiam Bataui et Britanni in suis Bibliorum minoris formae editionibus obseruant.

(k) Titulus libri hic est: *Canticum canticorum Salomonis, versibus et commentariis illustratum, Gilberdo Genebrardo, Theologo Parisiensi, Professore Regio, auctore, aduersus trochaicam Theod. Bezae paraphrasin. Subiuncti sunt trium Rabbidorum, Salom. Iarchii, Abrab. Aben Ezrae, et innominati cuiusdam commentarii, eodem interprete. Paris. 1585. 8.*

(l) Prodiit illa Breithaupti metaphrafiis vna cum sacris carminibus in festa anauerfaria. Halae 1717. 4. In dedicatione ad Regii Consistorii ecclesiastici, quod sedet Hannoverae, Directorem et Consiliarios, inter alia memorabilia, de instituto suo scribit magnus hic theologus, quod anno saeculari acad. Iuliae 1676. opus hoc inchoarit, senex denique LX. annorum ab ouo recensuerit, limaquoque necessaria sit perfectus, denique anno ecclesiae euangelicae iubilaeo, 1717. ediderit. Quod commentarii loco idem inseruire possit, vti et in titulo scribitur, ob parallelismum verba-lem et realem, et notas et indices, insipienti manifestum est.

dammodo referendus est MARCVS HASSAEVS, e cuius paraphrasi Psal-
 morum epica supra versus aliquot inserui. Nempe et ipse proficitur, et
ἀπολογία docet, quod Lutheri potius versionem, quam ipsos fontes He-
 braeos, probe licet intellectos, vbi haec ab illis discrepat, sit secutus. Hac
 vero chorda etiam alii e nostratibus in decantandis Latine psalmis Dauidi-
 cis oberrare solent. Altera classis, valde numerosa, est eorum, qui non
 nisi versionibus et commentariis celeberrimorum interpretum adiuti meta-
 phrasas suas concinnarunt, quos omnes recensere, neque huius loci, ne-
 que instituti mei est. In tertia classe collocandi forent, qui non nisi vnam
 aliquam versionem carmine Latino expresserunt. Huc pertinent omnes,
 qui saeculis illis barbaris ante *παλιγγενεσίαν* litterarum et religionis vixe-
 runt, et varios Scripturae sacrae libros, ex misera illa versione vulgata, eius-
 que commentatoribus saltem sapientes, in carmina, maximam partem infice-
 ta, transfuderunt. In his eminent laboriosissimus ille totius ferme codicis
 sacri paraphrastes, PETRVS DE RIGA, cuius AVRORA, qua, vti ipse
 ait, *historiam Genesis versibus texere, et de ipsa aliquas allegorias elicere
 studuit*, cum permultis eiusdem aliis librorum biblicorum paraphrasibus
 metricis, tenebris oppressa mansit, exigua nunc admodum, aut ferme nulla,
 typorum ope, in lucem emicandi spe: nisi forte huiusmodi otio et opibus
 abundantes claustrorum incolae, quales grandibus anecdotorum thesauris
 orbem eruditum locupletarunt, hunc mole sua laborantem poetam iis offer-
 rant, qui, frugibus inuentis, glande vesci sustinent. Felicius fuit fatum
 MATTHAEI VINDOCINENSIS, cuius *Tobiadem* aliquoties editam mem-
 morat FABRICIVS, qui in *Bibliotheca Lat. mediae et infimae aetatis*, vna
 cum POLYC. LEYSERI *historia poetarum et poematum medii aevi*, et BARTHII
Aduers. lib. XXXI. cap. XV. XVI. de his et similibus aliis consulendus.
 Inter nostrates, qui in locis dubiis Lutheri tantum versionem secutus vi-
 deatur, praeter alios, Eobannum Hessium maxime obseruauit. Hinc et eius
 Psalmorum paraphrasis vsibus puerorum in Germaniae scholis mirifice in-
 feruire et olim potuit, et hodiernum potest. Heic exemplo declarare lubet,
 quomodo examinari queant, qui inter Germanos paraphrasas Psalterii car-
 mine Latino ediderunt. Verba Psalmi CXVIII. v. 27. quae reddenda erant,
Führet herzu die Festopfer mit Stricken bis an die Hörner des Altars, primus
 Lutherus reddidit, *Schmücket das Fest mit Mayen bis an die Hörner des
 Altars*. Iam facile omnes vident, quod linguae Germanicae ignari, qualis
 erat BVCHANANVS, hanc versionem sequi non potuerint. Nempe ita
 ille hoc comma effert:

*Laetitia celebrate diem, foetusque bidantis
 Tenellus arae vinculus adster cornibus.*

Quid

Quid autem Germani nostri? Ab EOBANO HESSO quid aliud expectes, quam huiusmodi aliquid?

*Atria flexilibus vincite virentia ramis,
Aurea qua geminis cornibus ara coit.*

WIDEBRAMVS in eandem sententiam longe aptius concinit:

*Hunc festum celebrate diem, praetextite templo
Frondes, ad arae prominentes cornua.*

IO. MAIOR tubam suam heroicam, et perpetuo fere grande sonantem, ita inflat. Ergo labore diem hunc vacuum fragrantibus omnes
*Accumulent donis, et festae frondis honore
Cornua praecingant arae.*

MAVRITIVS HASSIAE LANDGRAVIUS, pro concinna sua breuitate, ponit:
Hunc decoret festum frondibus ara diem.

HASSAEVS, neglectis heic, ipsi qui patebant, fontibus:
*Ergo diem festum lacti celebrate comosis
Frondebis, atque arae praecingite cornua sacrae.*

Illustris autem ille IOACH. GOETZ ab OLENHUSEN vti alias, ita et heic, vtrumque sequenti ratione coniungit.

*Frondebis huic festis redimito sacraria templi,
Stetque coronatas agnus tener hostia ad aras.*

Pari modo quod in vulgata est, *Constituite diem sollemnem in condensis, vtrique ad cornu altaris*, eleganter περιφραζων, victimas aequae ac fronde complectitur ill. BARO ab HEÜEL (m) ita canens:

*Lux festiua micet: caedatur victima: fumet
Ara: sacros decoret frondea pompa tholos.*

VI. Alio praeterea modo distingui possunt Psalmorum metaphraetae poetici in eos, qui vario lyriici carminis genere, vti Buchananus, Beza, Arias Montanus, Casp. Cunradus; (n) vel qui mere heroico, vti Io. Maior,

(m) Huius praeclari libri titulus est: *Psalmodia sacra parallelo-metrica* (nempe ob adpositam e regione suae paraphrasi poeticae versionem vulgatam) cum monitis moralibus, et deuotis ad Deum precibus, in tres partes diuisa, auctore HENRICO S. R. I. LIBERO BARONE AB HEÜEL, Nobili Domino de et in Dieffenau, S. Caesar. Maiesat. Consiliario aulico actuali. Accessit eiusdem oratio panegyrica de consortio theologiae ac iuris prudentiae. Viennae Austriae a. 1710. 8. Quod vulgatam adposuit versionem, religioni suae dare debuisset videtur, vti et Vauassor in sua Iobi paraphrasi fecit. Neque enim versibus suis illam ex-

pressit, vbi nimis aberrat, sed meliora secutus est. Preces autem, singulis psalmis adiectae, plane sunt euangelicae, nec quidquam de inuocatione sanctorum aut B. V. Mariae, aut merito operum, aut purgatorio habent, sed ipsis ferme precationibus Arndianis ac Gerhardinis equiparandae veniunt. Referendus itaque hic liber in classem eorum, quos sal terrae dicere queas. Meretur certe tanti viri memoria lexico eruditorum biographico, in quo nulla eius sit mentio, posthac inferi.

(n) CASP. CVNRADI, Medici Vraetislauensis, *Psalmodiae Davidicae metaphraasis*

Ioach. Goetz ab Olenhusen, Marc. Hassaeus, (o) ceteri; vel qui mere elegiaco, vti Eob. Hessus, Baro ab Heüel, ceteri; vel qui vno e generibus lyricis, vti iam laudatus Hassaeus Sapphico, (p) Seb. Hornmoldus puris Iambis, illos reddiderunt. De ratione poëseos, qua in decade mea poëtarum, Dauidem Latine canentem sistentium, alter alteri praestat, ita mihi pronanciandum videtur. Elegantia, Horatianam omnino referente, et spiritu poëtico omnes antecellit Buchananus, dignus adeo, qui in scholis omnibus praelegatur, et eorum omnium, qui poëtarum Latinorum lectione delectantur, manibus teratur. Huic aemulus et haud longo proximus intervallo est Beza, cuius paraphrasis poëtica hoc etiam habet eximium, quod ei, praeter argumentum et vsus cuiuslibet psalmi, praemissa est cum versio Latina, tum etiam paraphrasis vberior, eleganti plane stilo soluto conscripta. Ipsi vero Buchananum faciem praetulisse videtur M. ANTON. FLAMINIVS, ille inter Italos emergentis tum doctrinae purioris amator, qui Psalmos XXX. versibus iambicis, leniter potius fluentibus, quam magno adsurgentibus spiritu, expressit. (q) Ante Buchananum etiam paraphrasin Psalmorum lyricam admodum iuuenis confecit IO. SASCEIDES, Wermenhusanus. (q) Porro laudanda ob concinnam in vario carminum genere puritatem, et quod ab octodecim annorum principe profecta est, admiranda omnino MAVRITII HASSIAE LANDGRAVII *paraphrasis*. Inter eos, qui genere heroico vsi sunt, sublimitate et copia excellit IO. MAIOR. Ceterum satis etiam in hoc genere elegans est generosissimus GOETZIVS, et Hassaeo ferme praefendus. In elegiacis licet regnet EOB. HESSVS, habet tamen, quae effusa potius, quam ita, vti tantum poëtam decebat, limata videntur. Est sane, vbi WIDEBRAMI, qui tamen etiam hexametros et phaleucos miscet, elegiae prae Eobanicis place- re queant: vti facile exemplis pluribus ostendi posset. BARONIS ab HEÜEL elegiae facili quidem vena decurrunt, sed quae Latinitate impuriori, quod viro grauissimis aulae negotiis districto condonandum, turbida nonnumquam redditur. Haec speciminis loco iam sufficiant. Si plurium de genere hoc forte mihi copia fiat, de iis etiam epicrisis mea in gratiam eorum, quibus

poëtica, in qua singuli psalmi singulari carminis genere sine omni elisione euoluuntur, cui tit. *Carmina V. illustrium poëtarum, Venet. 1558. 8.*
 prodiit Oelsnae Sillesorum a. 1607. 8.

(o) Perquam sibi molestum, et lectoribus minus gratum laborem suscipere videntur qui huiusmodi artificia adferant, quali HORNOLDVS psalmos omnes Dauidis puris et perpetuis Iambis sine elisione expressit, cuius paraphrasis edita est Tubingae 1596. 12.

(p) Flamini illi triginta psalmi praeter alias editiones inserti sunt collectioni illi,

(q) Titulus libri est: *Odorum, sive carminum sacrorum libri IX. Quinque priores Dauidicorum. Sextus biblicorum. Reliqui tres recentium, auctore Io. Sasceide, Wermenhusano. Basil. per Io. Oporinum 1557. 8.*
 In dedicatione ad Christianum III. Daniae regem scribit inter alia:

*Atque alacri facillis, precor, accipe carmina vultu,
 Quae dedit imberbis nostra iuuenta tibi.*

RA II: 141

quibus haec quodammodo in deliciis sunt, publice exhiberi, et specimen locorum, quae ab hoc vel illo poeta felicissime expressa videntur, Deo adnuente, adiungi poterit. Interim hanc quasi symbolam conferre visum est ad illustrandum quodammodo per exempla argumentum de poeseos biblicae exegeşi poetica, et addendam aliquam de huiusmodi poetis epicurifin. Ceterum notitiam eorum plenioram, post sparsas hinc inde particulas, exhibet *max. reuerendi* FRID. CHRISTIANI LESSERI, *inter ecclesiastas imperialis Nordhusae Senioris*, scriptis eximius celebre dudum inter eruditos nomen adepti, de cuius confirmata vetustate amicitia mihi gratulor, *Epistola gratulatoria de poetis biblicis, ad celeberrimum CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVM, iubilacum suum magisteriale XX. Octobr. CIOIOCLIII. celebrantem, missa.* Eadem vero notitia multis modis augetur, vbi in lucem, quam meretur, prodierit elaboratus ab alio Fautore et Amico meo, eleganter docto, *Conspectus poetarum latinorum biblicorum.*

VI. Nunc paucis denique indicandum, quomodo, postquam NATALIS AVSPICATISSIMVS SERENISSIMI DVICIS FRIDERICI III. PATRIS PATRIAE CLEMENTISSIMI, IN AVLA FRIDENSTEINENSI consuetis pietatis et laetitiae publicae documentis ante hoc quadriduum est celebratus, stata Gymnasii sollempnitas demississimae pietatis testificatione sit peragenda. Nempe, dum continuare visum est superiorum annorum institutum, publice dicendi, et magnorum e domo Saxonica Principum laudes, inprimis ad religionem quod attinet, euehendi, simulque INDVLGENTISSIMO PATRIAE PATRIAE congratulationis officium praestandi munus iam suscipere tres excitato et exulto ingenio florentissimi iuuenes, adeoque cathedram conscendent dicturi, IOANNES ESAIAS SAVRBREY, Gothanus,


de GEORGII, SAXON. DVICIS, Luthero licet insensu, indubiis tamen de religione evangelica promeritis, oratione Germanica,
IOANNES HENRICVS BERTVCH, Gothanus,
de HENRICI, SAXON. DVICIS, GEORGIO fratri in terrarum regimine succedentis, constanti pietate, et puriorem religionem prouehendi studio, oratione Latina, in carmen votiuum Teutonicum desinente; denique

IO. FRIDERICVS CHRISTIANVS BIRCKEL, Gothanus,
MAVRITII, SAXON. DVICIS, et primi e stirpe Albertina ELECTORIS laudes, et heroicam religionis evangelicae defensionem oda Teutonice canet, quamque natalis optimi PATRIS PATRIAE requirit, pietatem humillima congratulatione, et votis ardentibus testatam faciet.

Hanc itaque sollempnem panegyrim nostram vt PERILLVSTRES MAECENATES ET PVBLICAE SALVTIS STATORES, EPHORI GYMNASII VENERANDI, ET NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET VARIA MVNERVMDIGNITATE SPECTABILES, QVI GOTHAM LITTERATAM ORNANT, VIRI, MV SARVMQVE FAVTORES ET CVLTORES HVMANISSIMI crastina luce hora VIII. exoptata frequentis cohonestare dignentur, qua par est obseruantia, etiam atque etiam oro quaeſoque.

P. P. D. XXVIII. APR. A. CIOIOCLIII.

Hi
141



B.I.G.

Farbkarte #13

ENTATIO
 DE
 E EXEGESI POETICA

SOLLEMNI
 OST
 SPICATISSIMUM
 ELSSIMI PRINCIPIS
 CI TERTII
 AXONIAE
 M, ANGRIAE ET WESTPHALIAE
 ARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS
 EBERGIAE, COMITIS MARCAE
 NASTAE RAVENSTEINII
 ONNAE

T PATRIS PATRIAE
 TISSIMI

A. MDCCCLIII.
 MNASIO GOTHANO
 RANDAE
 T
 SSERVANTISSIMAE
 D
 VVENVM EXIMIORVM
 ERQVE AVDIENDAS
 MISSA
 A
 R. STVSS
 RVSS. ACAD. SCIENTIAR.
 EGA

RIS REYHERIANIS.

